



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

§ 7. Quod neque inferri potest Abbatem judicatum esse Archiepiscopo subditum, et si sententia in longè fortioribus terminis esset concepta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

Vsu ac facto saltem quatenus iudici constare poterat.

Itaque nunc probes ob aliam causam, quam ob immunitatem, iudicatam esse absolutionem.

*S. 7. Quod neque inferri possit Abbatem iudicatum esse  
Archiepiscopo subditum, etsi sententia in longè  
fortioribus terminis esset  
concepta.*

**Q**uod magis est, etsi absolutio à Collectis iudicata fuisset hac expressa causa, quia Abbas Imperio immediatè subditus non esset, neque tamen ex eo iudicatum foret Abbatem esse Archiepiscopo subditum, neque eidem Archiepiscopatui obnoxium.

Ratio illa est iam hæcenus deducta, quia negatio dominij siue juris, in Actore non ponit dominium in Reo.

Addo amplius, quod neque Abbatis subiectio pro Archiepiscopo efficaciter iudicata censeretur, etsi hæc causa expressa foret, quia Archiepiscopo subditus esset Abbas.

Ratio est, quia Archiepiscopus et Abbas inter se super eo non sunt contestati, sed quasi lites consortes contra Fiscum & tanquam illum coniuncta exceptione intentioneque repellentes in processu habiti fuerunt.

Atqui illa, quæ deducuntur in sententia per modum causæ pariunt effectum rei iudicatæ, præsertim inter eos, qui super eadem causa non sunt contestati, unde si in sententia dictum sit talem teneri ad onera & grauedines, quia est usu-fructuarius, hoc dictum per modum causæ, non excludit, quin possit cognosci & principaliter discuti de usu fructu. ita Card. Tusch. Verb. Sententia. Conc. 131 n. 5. alleg. Io: And. in c. cum Ecclesia.

*S. 8. Aliis rationibus probatur per eandem spirensen sen-  
tentiam de statu Monasterij non esse  
iudicatum.*

**I**sta dicta sint sub istis præsuppositionibus, à quibus, quam longè res ac ipsa veritas absit, nemo est qui non videat.

Sed præterea supersunt non modicæ rationes, quæ præsentam subiectionis iudicationem refutant.

Si enim Abbatis subiectionem Archiepiscopo addicere intendisset Camera, quid facilius fuerat, quam illud exprimere? poterat enim vel verbo in textum inferri.

Immo, etsi addicenda fuisset, obstringebantur id exprimere, non solum ex ratione Iuris, sed & specialiter ex dispositione constitutionis Imperialis MDXLVIII. § Vndt sollt.

Cum autem id non expresserit, sequitur neque ad iudicasse.

Qui enim providet in certis casibus, censetur in ommissis non voluisse providere. Card. Tusch. Verb. Omissum. conc. 116. n. 44. Alexand. conf. 158. n. 10. lib. 6.